

nobiles urbis Rome ad Tholomei curiam ivisse, cepit condolere et tristari. Affectabat namque Romanum imperatorem et viros prudentes in sua virtute habere. Quibus factis, quid super hiis facturus [esset¹], a viris sapientibus consilium postulavit; prebentes autem ei consilium, ut omnibus dimissis ad Romanam deberet accedere civitatem, Romanum quidem imperium in pace et in tranquillitate regere et gubernare. Audiens hec Iulius Cesar, tamquam vir magne probitatis, propter consilium virorum nobilium factus est furibundus et omnes scilientium habere iussit. Qui elevata voce cepit ita loqui: 'O viri com-militones et fortissimi et in preliis doctissimi, qui subiugastis Europam², Galliam scilicet Transalpinam usque ad occasum solis et Galliam Cisalpinam³, Tusciam, Apuliam, Sciciliam, Corsicam⁴ et Sardeniam, Bizanzium quidem et partes eius, partem Asie, non intellexistis a senatu fore statutum plures imperatores in Romano posse minime imperio esse? Nolumus parem sive consortem in Romano imperio habere. O milites et viri fortissimi, quid prodest michi virtus mea, quidve victoria mea? quid prosunt michi labores et afflictiones mee? Scitote enim, quia Romanum minime habeo imperium, nisi Pompeium et Romanorum principes omnino subiugaverimus. Non enim decet virum prudentem et magnanimum ab incepto desistere, sed que inceptit velociter ad finem perducere. Apprehendite arma, et viriliter persequamur Pompeium et Romanorum principes prudenter innitamur⁵; omnes vero provincias Asie nobis et Romano imperio faciamus tributarias'. Omnes autem, licet ad Romanam desiderarent accedere civitatem, tamen prudentiam et nobilitatem eius laudaverunt et ea omnia que vellet ad eius voluntatem essent facturi.

Hoc ita facto et statuto, tentoria versus Tholomeum Ydorum regem movere precepit. Transiens autem Iulius Cesar cum expeditione sua per montes et colles, per nemora et loca arida et inhabitata, castra, munitiones, quas inveniebat, subiugabat et eas sibi et Romano imperio tributarias faciebat. Quadraginta vero diebus transactis in terram Tholomei regis Ydorum conatus est intrare. Audito et intellecto de Cesaris adventu a Tholomeo Ydorum rege, cepit contremiscere pariter et tristari, regni sui desolationem cognoscens. Iterum die et nocte cogitando, qualiter voluntati Iulii Cesaris plenarie posset satisfacere et in suam gratiam et bonam voluntatem devenire. Tactus vero maligno spiritu cepit calide cogitare, quomodo Pompeium et viros nobiles urbis Rome interficere posset, credens indubitanter de beneplacito Iulii Cesaris et ob id in suam gratiam posse devenire. Tholomeus autem tante nequitie et per-

1) Fehlt Hs. 2) 'erusā' Hs. 3) 'transalpinam' Hs. 4) 'corsia' Hs. 5) 'imitamur' Hs. Die Emendation ist unsicher.